

Statuty Collegium Iuridicum Uniwersytetu Krakowskiego z 1719 r.

Edycja: *Leges et statuta Collegii Juridici almae Universitatis Cracoviensis*, w: P. Burzyński, *Nauka prawa w Uniwersytecie Krakowskim w ciągu czasu od r. 1364 do r. 1795. Wyimek z dziejów tego uniwersytetu opracowany na pierwotnych źródłach, z których dotąd nie drukowane a ważniejsze wraz z nim wychodzą*, „Czasopismo Poświęcone Prawu i Umiejętnościom Politycznym”, 2, 1864, z. 5, s. XLV–LXVIII.

In nomine Domini Amen. Leges et Statuta Collegii Juridici almae Universitatis Cracoviensis, post Conflagrationem ejusdem Collegii ex occasione PP. Societatis Jesu, Anno Domini 1719 Die 26 Mensis Julii factam conscripta, necnon unanimi consensu Perillustrium, Reverendissimi, Illustrium, Clarissimorum et Admodum Reverendorum Dominorum Doctorum et Professorum supra memoratum Collegium inhabitantium recepta ac approbata Anno qVo ChrIstVs Leges eXpresse statVIt, et Ipse eas aDIMpLeVIt., (Can. Ideo permittente. §. His ita respondetur. 25. 9. 1.) [s. XLVI]

Leges et Statuta, quae omnium hominum constringunt vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi praescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. (l. Leges sacratissimae. C. de Legib. et Constit. Princip.)

Prima salus est, rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. (can. prima salus. 26. 9. 1.)

Contra Patrum Nostrorum saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino statuerunt, consulto, intactum, non conservamus. (can. Ideo permittente. 25. 9. 1.)

Ea, quae ab Antecessoribus instituta sunt: nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur, (arg. can. Amputato. can. Cum. piaae. et can. Ecclesiasticae. 25. 9. 2.)

Non est tamen reprehensibile, si secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur, praesertim urgente necessitate, vel evidenti utilitate. (c. Non. debet. de Consanguinit. et Aftinit.) [s. XLVII]

PROPHASIS.

Cunctorum Plasmator Deus, ut totius Mundi machinam miro construxit ordine. (Genes 1.) ita omnia inferiora suo ordine gubernanda praecepit (teste Apostolo 1. Corinth. 14.) Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. Ubi enim ordo non est, ibi est confusio (gloss. in Authen. de Haered. et Falcid. §. Inordinatum.) qui si in omni loco, maxime in hac inclyta CC. DD. ICtorum Domo servari debet. Domus enim ICTi (si Lucio Crasso apud Ciceronem Lib. 1. de Orator. credimus) totius Civitatis oraculum est, tam divini, quam humani juris doctissimum; in qua omnia ad amussim, omnia ad normam aequitatis, praxis antiquae et laudabilis consvetudinis, quae vim legis habet. (can. Consuetudo. dist. 1.) peragi debent. Quod ut exactius fiat statuta sequentia ab omnibus et singulis Domum hanc inclytam CC. DD. ICtorum nunc et in futurum Inhabitantibus sacrosancte et inviolabiliter servanda sunt. [s. XLVIII]

STATUTUM I.

De lectione Statutorum ante electionem Praepositi.

Quemadmodum leges ab omnibus sciri. (1. 9. C. de Legib.) ita ab omnibus debent observari. (1. 3. C. eod.) Ideo ut fiat utrumque statuimus et districte observari praecipimus, quatenus leges et statuta sequentia, ne quis ab eorum observatione ignorantia excusetur, qualibet die electioni Praepositi Domus inferius destinata, ante ipsam electionem per ultimum Collegii Professore legantur, ut ex eorum praescripto quilibet sese informet, quomodo et qualiter in hac inclyta Domo se gerere et negotiis ejus pro spicere debeat. Leges enim et Statuta dant formam futuris negotiis. (c. 2. et fin. de Constit. et l. 7. C. de Legib.) tuncque instituuntur ac ligare incipiunt, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. (can. In istis. §. Leges. dist. 4.)

STATUTUM II.

De electione Praepositi Domus.

Ut in Apibus unus princeps est, Grues ordine literario sequntur unam. (can. In Apibus. 7. 9. 1.) ita in omni bene ordinata communitate, unus, qui ejus curam habeat, debet esse. Proinde statuimus, ut praemissa Sancti Spiritus invocatione, qualibet Commutatione, Aestiva quidem die 19. Aprilis, Hyemali vero 19. Octobris aut his vel harum aliqua feriali die, aut aliquo alio legitimo praedimento impeditis vel impedita, aliis vel alia proximiori die non impedita, Praepositus Domus, extradita ad hoc per anteriorem Praepositum officium Praepositurae terminantem Convocatione, per CC. DD. Collegas actu Collegium inhabitantes et ad Communionem Collegii Stubam, ad tertium pulsum Campanae in habitu decenti congregatos, idque ex turno, noviter vocato et ad Collegium admisso Professore excepto (qui praeter turnum, ratione ingressus sui ad Collegium, semel praepositurae, electionemque sub poena Quinque Marcarum irremissibiliter solvere et pro arbitrio Communitatis convertere, sive ex turno sive ratione ingressus de se factam acceptare debet) ascendendo vel descen[s. XLIX]dendo eligatur ita, ut hoc officium ad singulos, nisi cum aliquibus praecipue senso vel meritis gravatis dispensare vellet Communitas, devolvatur. Efficacius enim comissa gerimus officia, si Nostra cum Fratribus partimur onera. (c. Mandata. de Praesumpt. et. c. fin. de Offic. Archipresb.).

STATUTUM III.

De electione Consiliariorum Dumus.

Experientia ut pote (jux. c. Qvamvis. de Elect. in 6.) rerum Magistra efficacissima docemur, oculos plura videre, qvam oculum. (Vesembec. de Stud. Jur.) et multas manus reddere onus levius, qvam unam. (Frideric. Scot. Cons. 1. n. 297. Tom. 1. Lib. 2). Ideo statuimus et in posterum statutum haberi volumus, ut electo Praeposito domus duo per electionem, unus videlicet ex CC. Doctoribus, alter ex Professoribus habito semper respectu ad turnum et Expraepositum addantur in Convocatione Electionis Praepositi Consilarii, qvi illum in oneroso officio suis adjuvent consiliis. Facilius namqve peragitur officium, - quod duorum fuerit societate comprehensum. (Cassiodor. Lib. 12. variar. form. epist.)

STATUTUM IV.

De munere Praepositurali diligenter obeundo.

Qvoniā omnium Actionum (ut inquit Patricius Lib. 5. tit. 20. de Regn.) sit Magistra diligentia, ac ea remota, omnia qvasi veterno composita in tenebris jacent et in caligine delitescunt. (Jacob. Aleman. Consuit. 8. qvaest. princ. 2. fol. 66.) Ideo hoc statuto Clarissimum Praepositum Collegii pro tempore existentem obligatum haberi volumus ac eundem obligamus, ut pro munere suo quam maximam diligentiam circa vindicandos Census adhibeat, vindicatos alios ad Mensam, alios pro dismembrationibus et aliis necessitatibus juxta obloqventiam pientissimarum Foundationum tum pro solutione salariorum et septimanalium Familiae Domque converti, Domum in omni honestate et decore, Familiam in rigore, conservari eamque de malo corrigi et ad bo[s. L]/num (jux. can. Sicut ii. §. Necesse. dist. 47.) etiam per amotionem incitari, Collegium si reparatione aliqva indigeat, de eadem Clarissimum Procuratorem Universitatis ad qvam de jure et antiqva Consuetudine reparatio hujusmodi spectat, aut si Clarissimus Procurator Universitatis in hoc fuerit tardus vel renitens ipsum Magnificum Dominum Rectorem pro tempore existentem tempestive, non expectando majorem deteriorationem rei reparandae avisari, ac ea, qvae ad suum officium ex praxi et antiqva consuetudine spectare dignoscuntur, sine mora, qvae unicuique est nociva. (c. Mora, de Regul. Jur. in 6.) exeqvi curet. Culpae enim horum adscribendum est, qui negligentiores in suo officio fuerint reperti. (l. Divus Marcus, ff. de Offic. Praesid).

STATUTUM V.

De Officio Praepositi usurpando vel non.

Qvamvis vindicatio (ut ex immediato Statuto liqvet) ad Clarissimum Praepositum Domus pro tempore existentem pertineat, et nemo ejus Officium, utpote alienum usurpare debeat, (c. Tua Nos. de Homicid.) tamen si quis ex Dominis Consiliariis Domus, aut qvavis alius de Collegio Professor, maxime in absentia Domini Praepositi Domus Census ad Collegium spectantem perceperit et de percepto Qvietationem suo vel nomine Praepositi dederit, officium ejus usurpare non censetur, qvinimo illum, in officio Praepositurali satis oneroso adjuvare videtur; modo dictum Census totaliter Praeposito qvamprimum venerit, restituat, alias non debet esse sine culpa; qvia hoc casu se immiscuit rei ad se non pertinenti. (c. Non est. de Reg. Juris. in 6 et l. Culpa est. ff. eod. tit.).

STATUTUM VI.

De fideli proventuum Collegii inter Professores dismembratione.

Insistendo doctrinae Gentium Doctoris Pauli (l. Timoth. 5. in can. Qvincuuque. 11. 9. 2. relatae:) Dignum esse operarium mercede sua. Statuimus et inviolabiliter observari volumus, [s. LI] ut unicuique Professori tam praesenti, qvam a Convocatione absentī etiam post cessum vel decessum ejusdem, proventus eundem de Collegio et Professione tempore actualis laboris et residentiae in Collegio concernentes, eidem, aut illi, cui ipse qvomodocunque etiam ultima voluntate sua commiserit, vel committi voluerit, integri acsi ipse praesens sub tempus dismembrationis fuisset, nisi

causa legitima subsit, vel nisi ipsos Collegio vel Professioni cedat, assignentur ac realiter et in effectum per Praepositum vel alium, ad quem id spectabit sub paena Censibus retentis simili et aliis arbitrariis solvantur. Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium. (can. Charitatem. 12. 9. 2.).

STATUTUM VII.

De Anniversariis in tempore praescripto celebrandis.

Sicut nulla dies excipitur, qua pro viventibus et pro quibuslibet necessitatibus Dominus non deprecetur; ita nulla dies (jux. can. penult. de Consecr. dist. 1.) excipi debet, qua pro Animabus fidelium, maxime pro quibus obligati sumus orare preces Domino in Missarum sollemnitatibus non fundantur. Ideo Statuimus et Clarissimum Praepositum Domus pro tempore existentem praesenti Statuto obligamus, ut Anniversaria per Collegium celebrari solita statis et a Fundatoribus praescriptis ac hic ad finem Libri Statutorum connotatis temporibus, etiam in casu non solutionis Census pro aliquo Anniversario provenientis, de Communi Collegii massa, aut in defectu hujus, suo interim peculio (modo ex Censibus vindicandis speretur refusio) celebrari, pro celebrandis Clarissimos Collegas invitari, absentes vero fideliter, nullo habito personarum respectu, nisi sint in negotio Collegii, Universitatis, aut vera infirmitate detineantur, connotari curet, et eosdem absentes portione pro Anniversarii interessentia debita, inter praesentes et Anniversario interessentes dismembranda, non debere gaudere sciat. Qui enim onus sponte susceptum supportare recusat, emolumento ex illo provenienti privari debet. (c. Licet et ibi DD. de Vot. et vot. redempt.). [*s. LII*]

STATUTUM VIII.

De Custodia et Clausura Collegii.

Quia Domus sua uni cuique debet esse tutissimum receptaculum. (l. Plerique. ff. de In jus vocan.) Ideo statuimus ut Clarissimus Dominus Praepositus pro tempore existens Tertianum serio moneat et negligentem suo modo adigat, quatenus continuo ne damnum aliquis Clarissimorum Professorum per ejus negligentiam et divagationem patiat, ingredientes et egredientes de Collegio observando, invigilet, illud nocte adveniente claudat ita tamen, ut si aliquem Professore, etiam in negotio proprio diutius morari contingat, eundem expectare teneatur et sit adstrictus, nihilominus Clarissimus Professor saepius et absque causa rationabili diutius extra Collegium ne moretur, si secus fecerit per Dominum Praepositum primo moneatur, ac demum (maxime si sit aliqua de ipso suspicio) per Officium Domus juxta Statuta inferius descripta puniatur. Honesti enim Viri debent esse in omnibus suis nocte adveniente. (DD. in l. 2. §. Et quia Magistratibus. ff. de Origin. Juris et colligitur ex l. Hoc edictum. §. Labeo. ff. de Iis, qui deiecerint vel effugerint.)

STATUTUM IX.

De Rationibus per Clarissimum Expraepositum faciendis.

Quoniam ex Officio suo et administratione sibi commissae calculum et rationem (per Authen. de Sanctiss. Episcop. §. Oeconomque) cum diligentia bonae fidei

conjuncta. (1. Si ita ff. de Manumiss. testamen.) absque omni dolo. (1. Thais. §. stichus, ff. de Fidei Commissar. libertat.) integre aperte et dilucide (d. l. Si ita. et l. Qvi filium. ff. de Manumiss. testamen.) reddere teneatur. Ideo statuimus, ut statim post electionem Praepositi et Consiliariorum ejus, Clarissimus Expraepositus de expensis et perceptis generaliter omnibus sub paena Marcarum Qvinque faciat calculum et Qvietationem seu clarius subscriptionem suorum Registrorum a Clarissimo Praesidente Convocationis, seu [s. LIII] illo, cui id per Convocationem Domus committetur, obtineat, liberque pronuntietur. Calculus enim rite et legitime redditus, rationes distrahit. (tot. lit. ff. de Tutel. et rationib. distrahen.) et ab obligatione instar transactionis liberat. (1. Si pure. ff. de Fideicomissar. libertatib. et l. Emptor. §. Lucius. ff. de Pactis.)

STATUTUM X.

De qvalitate Professoris ad Collegium vocandi.

Cum discere quisque prius debeat, anteqvam alios doceat. (can. Non negamus, dist. 61). Ideo statuimus nullum ad Collegium vocari debere, nisi illum, qvi in lectura bene exercitatus fuerit Juridicasque lectiones diligenter sub Clarissimis Doctoribus et Professoribus Utriusque Juris exaudiverit et super hoc fidele veritatis testimonium ab illis habuerit. Absurdum enim foret aliquem prius velle docere, qvam discere, (can. Si officia, dist. 59.)

STATUTUM XI.

De Recommendatione Professoris vocandi.

Qvamvis Professorum ad hoc Collegium vocatio ex antiqua consvetudine ad universitatem pertineat, tamen Praepositus Collegii pro tempore existens inhaerendo antiquae et rationabili consvetudini et Conclusioni per Universitatem Anno Domini 1714to latae et Libro Conclusionum insertae, occurrente vacatione, habito prius curo Clarissimis Dominis Doctoribus et Professoribus actu Collegium inhabitantibus consilio et assensu obtento, vocandum Professore actu laborantem Domui et Facultati proficuum Universitati praesentet, Universitasque hunc et non alium ad Collegium et Professionem vacantem, vocet ac a violenta subjecti, vel subjectorum impositione sub nullitate ipso facto vocationis absteat. Qvae enim per vim fiunt carere debent robore firmitatis. (c. Ad audientiam, de Iis, qvae vi metusve causa fiunt.) [s. LIV]

STATUTUM XII.

De Examine Professoris vocati.

Sic ut praemissum est vocatus ad Collegium Professor, anteqvam illud ingrediatur et possessionem Cathedrae adeat, debet se, similiter sub nullitate vocationis, subdere examini Clarissimorum Doctorum Collegium actu inhabitantium, ut per illud se idoneum et habilem ad docendum exhibeat. Idoneis enim Magistris non est deneganda licentia docendi, alias hoc ipso denegaretur doctrina ignorantibus. (c. Qvoniam. et ibi gloss. v. Qvi sit idoneus. de Magistr.)

STATUTUM XIII.

De Disputatione vel Principiatura ante Ingressum praemittente.

Ad Collegium vocatus Professor, qvamvis privatim per examen vires qvid valeant; humeri qvid ferre recusent monstraverit; tamen ad Cathedram et Professionem fidei sub paena superioribus immediate Statutis duobus expressa, admitti non debet nisi prius publicam disputationem ex Utroque Jure desumptam et per Clarissimum Dominum pro tunc Facultatis Juridicae Decanum approbatam expediverit, aut hac de speciali favore et consensu Clarissimorum Dominorum Collegarum ad certum tempus ex aliqua causa rationabili dilata se per Principiaturam ad possessionem Cathedrae admitti petierit. Qvi enim honorem Cathedrae assequi desiderat, necesse est, ut vires suas, cum hoc, qvoad subiturus est onere metiatur. (can. Non est putanda. 1.9.1.)

STATUTUM XIV.

De tempore invitationis CC. DD. Doctorum et Pfrum pro actu responsionis
et requisitis ad invitationem.

Qvandoqvīdem laborantibus proficui debeant esse labores, ad qvos alacrius suscipiendos qvoniam spes praemii invitare soleat (Menoch. Cons. 390. n. 43. et Lib. 7. de Praesumption. Prae/s. LV/sumpt. fin. n. 1.) ideo CC. DD. Doctores et Professores per Responsurum pro Collegio Professore triduo ante responsionem pro Disputatione invitentur et unicuique Quaestio Typis expressa officiose ad manus in propria ejus residentia reddatur, ac inhaerendo antiquae consvetudini unicuique Clarissimo Doctori in vim laboris, qvem in disputando subiturus est, aureus Hungaricalis unus, Professori vero Imperialis unus idque circa invitationem pro Disputatione, jam autem Clarissimo Facultatis Juridicae Decano circa approbationem Quaestionis duo Aurei Hungaricales sub non admissione ad Responsionem reponantur. Aeqvum enim est laborem cujusque digna remuneratione compensari. (c. Cum secundum. de Praeberi. et 1. fin. §. Similiter. C. de Alluvionib.).

STATUTUM XV.

De jucundo ingressu.

Siqvīdem Sacris Literis (Proverb. Cap. 15. vers. 13 Cap. 17. vers. 22. et Cap. 25. vers. 20.) Sacris cann. (can. Convivia et. seqq. dist. 44. ac II. C. de Public. laetit.) animi exhilaratio, cibi et potus sumptio, maxime si sit moderata et causam honestam habeat, non improbetur; ideo Statuto praesenti Clarissimus Professor, propter successum et exitum secundum Responsionis suae pro Collegio, ab appositione portionis in vim jucundi ingressus non arcetur, quinimo penes consvetudinem immemorabilem ac in legem tractam suamque hac in parte alacritatem et generositatem conservatur. (Inqvīt enim Gregor. Nazian. de Beatid. fol. 31.) Beatus, cui ob res ad faciendum propositas laetari, placere et exultare licet.

STATUTUM XVI.

De admissione Professoris ad Collegium et solutione Ingressus.

Quoniam ad Cathedram admisso Professore, ea, quae Cathedram sequuntur negari non debent. Ad concessionem enim unius expresse, videntur tacite concessa illa, sine quibus concessio expressa esset inutilis. (Alexan. de Imol. In Summario l. 2. ff. de Jurisdict. omn. Judicium.) Ideo statuimus ut Professor per Convocationem Domus ad hoc institutam, petitione prius competenti facta, ad vocem activam et passivam Habitationem, participationem de Mensa, dismembrationes et alias quascunque obventiones ac proventus Collegas Juridicos concernentes, repositis prius sub paena in statuto 11. expressa ad manus Praepositi pro tempore existentis ratione Ingressus florennis Polonice Trecentis inter Collegas Actuales, non computato Ingrediente dismembrandis, admittatur. Qui enim ex participatione de proventibus Collegii sperat commodum, aequum est, ut per solutionem Ingressus patiatur incommodum. (jux. Reg. Qui. sentit. de Reg. Juris, in 6).

STATUTUM XVII.

De Juramento per Ingredientem Professore praestando.

Justitiae et rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderat servari, proculdubio decessorum suorum Statuta custodire et observare tenetur. (can. Justitiae. 25. 9. 1.) Ideo Clarissimus Professor Collegium hocce ingrediens, antequam ad illud et ejus Privilegia ac emolumenta admittatur, super Statutis Collegii omnibus et Singulis servandis, secretis non revelandis et bono Collegii promovendo, stipulatam manum, quae vim juramenti habet, Clarissimo Domino Collegae pro tunc Convocationi praesidenti, sub paena non admissionis ad Collegium, dare debet. Id enim quod contra bonos mores non iungitur, pro eorum inter quos vivitur, societate servandum est. (can. Illa autem. dist. 12).

STATUTUM XVIII.

De Seniore ad Contubernium Jurisperitorum vocando.

Quandoquidem Privilegio Reverendissimi olim Joannis Konarski, Episcopi Cracoviensis Die 1ma Mensis Junii Ao 1519no et Statuto Universitatis Rectoratu Magnifici Domini M. Joannis [s. LVII] de Pilca Die 24. Mensis Augusti 1491. formato praescriptum sit, ut Senior Bursae Juristarum inter alios cum locus vacat in Collegio, prior ad vacandum debeat esse; ideo Statuimus et Perillustrem ac Reverendissimum Dominum ex Collegio Nostro Juridico Canonicum, uti et tanquam dictae Bursae Provisorem natum hoc Statuto obligatum haberi conamur, quemadmodum obligamus, quatenus vacante Senioratus praefatae Bursae Professione, Virum talem per universitatem eligendum proponat, qui in Utroque Jure per exauditas Lectiones exercitatus fuerit et examen post vocationem sui ad Bursam seu Contubernium, coram Clarissimis Doctoribus Collegium Juridicum inhabitantibus ante Principiaturam more Collegarum vocatorum, sub nullitate suae ad Contubernium vocationis, subire sit adstrictus. Quae enim ad perpetuam utilitatem instituta sunt, nulla debent immutatione variari. (can. quae ad perpetuam. 25. 9. 1).

STATUTUM XIX.

De tempore lectionis D. Senioris Bursae Jurisperitorum et non usurpatione eorum
qvae spectant ad formales Collegas Juridicos.

Qvanqvam Senior Contubernii Jurisperitorum gratia praelegendae Lectionis Regularum Juris diebus Sabbativis Pervigiliorum ac silentii tempore ad Cathedram Clarissimorum Professorum Juris secundum antiquam Consuetudinem admittatur, et a Professione ad quam vocatus est, Professor Utriusque Juris intituletur; tamen ad Actus Collegas actuales Juridicos concernentes, utpote praesentationes Doctorandorum, Convocationes Domus et his similia formalibus Collegis praejudicium qvodeunque et qvomodoenque inferentia (nisi id de consensu omnium fiat) se ingerere non debet idque more Antecedaneorum suorum Seniorum. In jus enim ipsorum sucessit, jure illorum uti debet. (l. Qvi in jus. ff. de Regul. Juris.) [s. LVIII]

STATUTUM XX.

De Optione Habitationum et Celariorum.

Qvoniam senium et prioritas in omnibus attendi et ab omnibus observari debeat; ideo etiam in optione Habitationum et Celariorum hujus inclytae Domus more et praxi aliarum Communitatum eandem prioritatem observandam esse statuimus et decernimus Habitationemque vel Celarium qvomodocunque vacantem vel vacans priori ad Collegium vocatione Professori, nisi ipse noluerit et priori sua Habitatione (quam unicam tantum habere et possidere debet) contentusque fuerit, conferendam vel conferendum esse censemus. Valde enim iniquum et absurdum est, si novi antiquis minus meriti emeritis praeferuntur, (can. Statuimus. dist. 61. et can. fin. ac ibi gloss. v. Praeferre. dist. 75.)

STATUTUM XXI.

De immissione Professoris in possessionem Habitationis.

Cum traditio rei, tribuat possessionem ejusdem (c. Ex literis. de consuetud.) ideo Professor accepta in Convocatione Domus Habitatione se ad ejus possessionem et omnium ad eam spectantium per Officium Domus, vel si sit impeditum saltem per traditionem Clavium ad Habitationem acceptam spectantium, immitti petat. Clavibus enim traditis videtur tradi possessio eorum, qvae sub Clavibus continentur. (l. Clavibus, ff. de Contrahen. emption.)

STATUTUM XXII.

De conservatione et reparatione Habitationum.

Qvandoquidem Habitatione ad habitandum alicui commissa et ea, qvae in illa sunt (per tex. 1. Si ita. §. Domo. ff. de Fundo instruet.) committi videntur; ideo Clarissimo Professori Habitatione per Convocationem Domus collata, et omnis supellex ad Habitationem spectans collata censetur, quam Habitationem cum supellectili per Praepositum Domus registrata et omnibus attinen[s. LIX]tiis ac pertinentiis ad eandem spectantibus in suo statu Clarissimus Professor conservare studeat; imo cum suam Domum (per 1. Domum suam, ff. de Regul. Jur.) unicuique reficere, modo non officiat alteri, liceat, eandem pro arbitrio et commodo suo, absque laesione tamen Parietum et Celariorum, alias ad restaurationem eorundem proprio

sumptu faciendam tenebitur, reficere, refectam picturis, promptuariis, parietum coronis ligneis alias Listwami et aliis ornamentis adornare poterit, modo in egressu de illa qvae clavo parieti affixa sunt et sine laesione parietis avelli non possunt reliquat. Omne enim qvod solo inaedificatur, solo cedere debet. (§. Cum. in suo. Instit. Imperial. de Rer. division).

STATUTUM XXIII.

De Charitate mutua.

Qvemadmodum sine via pervenit nullus, qvo tendit, ita sine charitate, qvae via est, non ambulare possumus sed errare, (can. Charitas, dist. 2. de Poenit). Ut igitur recte in omnibus ambulemus et ne in qvopiam erremus; statuimus qvatenus in nobis mutua charitas [qvae est omnium bonorum radix (can. Qvia radix. loc. cit.)] servetur. Nos invicem, non propter aliquas utilitates, non propter Affinitates vel Consangvinitates, sed propter hoc tantum, qvod (jux. d. can. Chartas. §. Proximos). Naturae Nostrae simus participes diligamus. Nihil in Nobis nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate nihil immaniter, nihil inhumaniter, (can. Prodest. 2. 3. 9. 1). Nunqvam a Nobis etiam in adversis (qvae Deus avertat) charitas recedat; qvia eo ipso, si a Nobis, etiam in illis recederet, simulata foret. (can. Ficta charitas. d. dist. 2. de Poenit.) semper maneat; qvia alias qvae aliquando deserui potuit, nunqvam vera fuit. (can. Charitas qvae. loc. cit.) radicaretur in Nobis, sic omnia mala eradicabuntur. Ubi enim charitas radicata est, ibi nihil mali esse potest. (can. Radicata. d. dist. 2. De Poenit). [s. LX]

STATUTUM XXIV.

De Concordia servanda et discordia vitanda.

Ut concordiam unitas, ita discordiam dualitas inducit. (colligitur ex. can. In Apibus. 7. 9. 1). Statuimus igitur qvatenus inter Clarissimos Professores Domum hanc inhabitantes concordia, qva res parvae crescunt, discordia vero maximae dilabuntur, servetur, unitas et pax, qvae est vinculum charitatis. (c. Novit. §. Licet autem. de Judic.) ab omnibus inviolabiliter teneatur, discordia, rixae et dissensiones evitentur, ac ille, qvi eas seminat, vel aliquando seminare audebit pro primo moneatur, pro secundo mulctetur, pro tertio gravioribus poenis compescatur. Qvi enim societatem fraternitatis discordiae peste contaminat, Deum, qvi Charitas est tanqvam Judas prodit. (can. Absit. 11. 9. 3).

STATUTUM XXV.

De reverentia Majorum et Minorum observantia.

Siqvidem non solum in Communitatibus, verum etiam ubivis locorum Majoritas et Superioritas attendatur, Minoresque Majoribus debitam reverentiam praestare debeant, idque vel in obsequio exhibendo. (can. et subdiacono. dist. 93.) vel reverentiam (ad qvam et qvalem tenetur Filius Patri) ex justitia impendendo. (can. Est ordo. 33. 9. 5.) vel in sedendo et stando. (can. 20. et 24. dist. 93.) in diligendo. (can. Esto. dist. 95.) eos temerarie non arguendo, vel judicando. (can. Nolite. dist. 21.) defectus eorum non revelando, sed potius cooperiando. (can. In scriptis. dist. 96). Ideo et in hac inclyta Domo nostra haec omnia, qvae immediate allegatis canonibus

mandantur stricte et sub poenis arbitrariis observari statuimus. Volumus nihilominus et sub iisdem poenis praecipimus, ut Majores sint in omnibus exemplo Minoribus. (can. Qvalis. 8. 9. 1. can. Nolo. 12. 9. 1, et c. Cum ex eo. de Poenit. et Remiss.) eosdem in bonis imitari etiam non dedignentur. (can. Constantinopolitana. dist. 22.) oppositionem illorum, vel unius ex illis, modo illam juste fuisse et esse oppositam ostendant, vel aliquis eorum ostendat (per tex. c. Ex parte, et [s. LXI] ibi gloss. v. Opponere. de Concess. Praeben.) aegre non ferant, eosdem ut decet et expedit paterno affectu prosequantur. Ad hoc enim dispensationis divinae provisio diversos gradus et ordines constituit distinctos, ut dum reverentiam Minores Majoribus exhiberent, Majores Minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret et ex diversitate connexio, et recte singulorum officiorum gereretur administratio. (can. Ad hoc. dist. 89).

STATUTUM XXVI.

De admissione honestarum vel inhonestarum personarum.

Cum omnis, qvi a Criminibus flagitiorum et facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit, qui vero non solum vitam suam, sed etiam famam custodit, et in se et in alios misericors est (can. Non sunt. 11. 9. 3.) Nobis enim sollummodo vita Nostra, aliis etiam fama nostra necessaria est. (d. can. Non sunt.) qva ne unqvam apud alios laboremus, non solum nitorem vitae et conscientiae, sed etiam bonae famae odorem inhaerendo (c. un §. Ad exhibendum. de Sacr. unct. et gloss. in Extravag. commun. Execrabilis. v. Bonae famae. de Praeben. et dignit.) curare debemus. Statuimus igitur [ut sit semper de nobis bona fama ne eam negligentes in Nosmetipsos (jux. can. Nolo. 12. 9. 1.) crudeles simus] qvatenus inhonestae et suspectae personae apud Nos et in Residentiis Nostris, locum standi non habeant, et qvi tales admiserit ac de mala cum illis conversatione legitime convictus fuerit, primo in tribus Marcis, secundo in sex puniatur, tertio tanqvam incorrigibilis et in seipsum crudelis de Collegio excludatur. Resecandae enim sunt putridae carnes, et scabiosa Ovis a caulis repellenda; ne tota Domus massa, corpus et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant et intereant. (can. Resecandae. 24. 9. 3). Qvodsi autem aliquis Professorum honestam Matronam aut Consangvineam, modo eam non pernoctet, apud se habere voluerit, statim alium Professore, maxime si sola venerit (ut suspicio omnis tollatur) accersire curet, ac sic cum ea, in praesentia alterius Professoris, aut aliorum honestorum virorum vel Mulierum, colloqvatur. Naturale enim foedus in Consangvineis, ho[s. LXII]nestis et non suspectis personis nihil saevi permittit suspicari. (c. et Nobis. de Cohabit. Cleric. gloss. in c. Cum in juventute. de Praesumpt. et l. Eum qui. C. de Episcop. et Cleric.).

STATUTUM XXVII.

De pernoctatione extra Collegium.

Licet omnis suspicio potius repelli, qvam approbari et recipi debeat. (can. Oves. 6. 9. 1.) et in dubiis de qvolibet bene semper praesumendum sit. (glos. in Extravag. Joann. 22. Qvorundam. v. Speramus de Verb. signific.) tamen si Professor dimissa honesta requie habitationis suae, alibi eandem cum suspicione qvaerat, providimus et Statuimus, qvatenus nullus, nisi sit rationabilis causa et omnis absit suspicio, extra

Collegium pernoctare audeat, quodsi secus facere praesumpserit et in loco inhoneste repertus vel convictus fuerit, poenis in Statuto immediate posito expressis subiaceat irremissibiliter. De similibus enim ad similia procedendum est. (1. Non possunt, ff. de Legib. et Senat. Consult.) Qvos namque par facinus coinquinat et aequat, utrosque similis poena comitetur. (1. Si quenvquam in fin. et ibi gloss v. Par facinus. C. de Episcop. et Cleric.).

STATUTUM XXVIII.

De Optione Beneficiorum et Professionum.

Qvod de optione Habitationum supra Statut. 20. statutum est, id ipsum ad Beneficiorum et Professionum optionem ipsius aequitatis ratio, quae, (secundum Bald. in c. Dilectis. de Rescript.) ipsa lex est, extendere svadet et non immerito. Ubi enim eadem militat ratio, ibi idem jus statui debet. (1. Illud. ff. Ad. l. Aquil. et l. 1. §. 1. ff. de Fonte). Qvapropter statuimus, ut in Beneficiorum et Professionum optione habito respectu ad non habentes et idoneos (jux. Declarat. Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 18. de Reform.) prioritas vocationis ad Collegium, meritorum et idoneitatis sancte et inviolabiliter observetur. Qvi enim est prior tempore, debet esse potior jure. (c. Cum autem. de Jurepatr. c. 1. de Ma/s. *LXIII*/jorit. et obed. et l. Potior. ff. Qui potior. In pignor. habean.). Unde illud: Contra majorem, nemo praesumat honorem. (1. Qvia etsi et ibi gloss. v. Non possumus. ff. de Alien. Judic. mutan. causa facta).

STATUTUM XXIX.

De modo conferendi Beneficia Collegii Extraneis.

Siquidem Beneficia Collegio incorporata et ad ejus collationem spectantia exiguos habeant proventus adeo, ut ex illis sustentatio debita esse nequeat: ideo statuimus, ut hujusmodi Beneficia pro unica duntaxat vice, nisi aliter Collegio visum fuerit, etiam Extraneis conferri possint et valeant. Caeterum quia receptor Beneficii naturaliter beneficientibus benefacere teneatur (per l. Sed etsi lege §. Consuluit. ff. de Petit. Haeredit.) ad auctionem ejusmodi Beneficii ex collatione Collegii accepti, tum quam minimam obligationum (ut exactius penes Professionem per Professorem admipleantur) impositionem obligetur idque in effectu et non in verbis tantum praestandam. Promittentibus namque maria et montes non est credendum (jux. gloss. 1. Non omnes. §. Qui transfugit. v. Ea. ff. de Re militar.). Ubi enim opus est facto, ibi verba non sufficiunt. (1. Peculium. in fin. ff. de Pecul.). Facta utique sunt verbis potiora. (1. De pupillo. §. Meminisse. ff. de Nov. oper. nuntiat.) et carius est modicum praesens, quam multa futura: (1. Cum hi et ibi gloss. v. Modico. ff. de Transact.) Qvod idem (Claudiam in d. gloss. Modico.) confirmat inquietis: Omne futurum despicitur svadentque magis praesentia fructum.

STATUTUM XXX.

De Mensa Collegii instituenda et manutenenda.

Licet hactenus communis Collegii mensa sit intermissa, tamen ad eandem manutenendam non solum Foundationum praescriptis, verum etiam majori Professorum commoditate, minori pro eadem expensarum, quae ex symbolis, hoc est plurium collatione (jux. gloss. can. Non oportet. v. Ex Symbolis. dist. 44.) [*s. LXIV*]

proveniunt, erogatione ac aliis rationibus animum cujuscunque permoventibus compellimur; ideo reassumendo antiquam laudabilem hujus Collegii de manutenenda communi mensa consuetudinem, statuimus et ordinamus, ut Praepositus Collegii pro tempore existens, ex Censibus ad Mensam Collegii spectantibus, Mensam communem quotidie, idque diebus feriatis media duodecima, jam vero diebus non feriatis hora undecima, Caenam vero hyeme hora Sexta, aestate hora Septima juxta cursum medii Horologii, haberi, portiones pro diversitate dierum diversas apponi, alias consuetudinem antiquam hujus Collegii et aliorum observari curet. Praecedens enim consuetudo et ratio quae consuetudinem svasit, tenenda est. (can. Consuetudo. dist. 12.)

STATUTUM XXXI.

De Portione Professoris a Mensa absentis.

Quoniam qui alimenta negat, necare videtur. (1. Necare. ff. de Liber. agnoscen). Ideo Clarissimus Dominus Praepositus pro tempore existens absentis a Mensa Professore et Lectionem hac die si est non feriatam legenti, alimenta hoc est portionem eundem concernentem non deneget, imo eandem exceptis pultibus, multo magis si sit in negotio Collegii vel Universitatis et hac die speretur, in Culina asservari curet. Absentia enim ejus, qui causa communi abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet. (1. Absentia. ff. de Regul. Jur.).

STATUTUM XXXII.

De benedictione, gratiarum actione et aliis circa mensam servandis.

Quandoquidem Cibus, maxime in sortem Dei electorum debeat praecedere benedictio, inter Cibus lectio, post cibum gratiarum actio. (can. Quando autem. dist. 44.) ideo inhaerendo ejusmodi canonis dispositioni decernimus, ut Clarissimorum Dominorum Professorum, per pulsum Campanae ad Mensam vocatorum prior verum incipiat et cibus benedicat, factaque benedictione, omnes et singuli ordine vocationis ad Collegium, [s. LXV] ad Mensam sedeant, alter alteri honorem praebeat, per vices Cibus et potum unusquisque sumat, nullus alterius tam praesentis, quam absentis famam et nomen aculeatis verbis pungere ex irrisione reprehendere, aut inanes fabulas, sub carentia sequentis diei portionis aut plurimum (sic) pro ratione delicti, proferre audeat, sed lectioni sacrae scripturae, per unum ex Servitoribus Clarissimorum Collegiarum septimanatim sub carentia portionis toties quoties intermissa fuerit, eousque faciendae, quousque priori Professore ad Mensam tunc praesenti videbitur, quisque attendat, ac tandem finita Mensa omnes assurgendo gratias Deo agant, alternatimque Psalmum Deprofundis cum versibus et Collecta (Inclina Domine etc.) pro anima Petri Sacerdotis recitent et alteram Collectam pro omnibus Benefactoribus (Deus veniae largitor etc.) addant. Illis enim debemus esse obnoxii, a quibus Nos recepisse beneficia recognovimus. (c. Cum in officiis. De Testam.)

STATUTUM XXXIII.

De Refectionibus apponendis.

Quoniam praeter ordinariam Mensam Communitates et Collegia, maxime diebus sollennioribus Refectiones suas seu portiones extraordinarias habere soleant; ideo et hoc Collegium more aliorum Collegiorum illis gaudere debet. Statuimus igitur, ut Dominus praepositus Domus statis et ad finem Statutorum praescriptis diebus Refectiones, praevio consensu omnium Collegiatorum, vel ex residuitate Censuum pro mensa ordinatorum, vel ex illis portionibus, quae ob absentiam a Mensa Professoris vel Professorum (quae absentia Clarissimo Domino Praeposito, ne frustra pro Mensa expendat pridie denuntiari debet) remanserunt, vel ex aliis obvenientiis accidentalibus, apponi curet. Quidquid enim locis, temporibus et personis convenit, diligenter attendendum et servandum est. Fieri nempe potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis pretiosiori et lautiori cibo sapiens utatur, insipiens autem faedissima gulae flamma in vilissimum olus ardeat. (can. Qvisqvis. dist. 41.) [s. LXVI]

STATUTUM XXXIV.

De Servitoribus Professorum non multiplican. et correctione eorum.

Cum omnis multitudo nihil habeat honesti, imo saepesaepius pariat confusionem. (Authen. de Referendar. Collat. 2. et ibi gloss. v. Honestum.) ideo et in hac Domo multitudinem Servitorum statuimus vitandam esse, nullumque Professorem plures, quam unum de communi Mensa alendum debere fovere Servitorem decernimus. Si vero aliquis ex Professoribus pro honore suo et honestate alterum Servitorem penes se retinere voluerit, eidem de alimentis providere teneatur. Ut enim Servus Domino operari. (l. Statuliberos. §. Si quis servorum. ff. de Statuliber.) ita ab eo ali debet. (l. cum plures. §. penult. ff. de Administr. et peric. tutor.) Caeterum isti omnes Servitores in omni modestia se gerant, prava consortia vitent, fabulas (quae inter Dominos odia aliqua concitare possent) non disseminant, ad Culinam excepta necessitate saepius non descendant, ibique ultra necessitatem non inorentur, sed quisque in residentia sui Domini, vel suo reclinatorio, ut praesto adsit ad obsequium se contineat, Cauponas non visitent, Chartas, Aleas et alios lusus prohibitos et inhonestos non exercent, alias si quis Servitorum talis inventus fuerit, per Dominum proprium, vel etiam per Clarissimum Praepositum Domus, ne alios corrumpat, corripiatur. Saepe enim malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia (quales sunt Juvenes) proni inveniuntur. (can. Saepe. 28. 9. 1.) Verum si in corrigendo Servitore Dominus fuerit remissior, Clarissimus Praepositus, ut praemissum est ex Officio suo, quod illi more aliorum Collegiorum competit, in eum animadvertet, nec huiusmodi animadversionem (modo non fiat dolosa) Dominus vitio vertet, vel pro injuria reputabit. Qui enim jure suo utitur, nemini injuriam facere videtur. (c. Cum Ecclesia. de Elect. et. l. Injuriarum §. 1. ff. de Injuriis.) Delicta utique non debent manere impunita (l. Si ita vulneratus. §. 2. circa med. ff. Ad l. [s. LXVII] Aquil.) Nec malitiis hominum est indulgendum. (l. In fundo alieno. §. penult. ff. de Rei vendic.)

STATUTUM XXXV.

De Custodia Ignis.

Qvanta damua negligens custodia ignis inferre soleat, nuper in Domo Nostra hac paenitus praeter parietes muratos cum Bibliotheca et praetiosa tam communi, qvam Professorum particulari suppellectili ex occasione PP. Societatis Jesu, igne consumpta experti sumus. Statuimus igitur et districte praecipimus, ut non solum communis familia, sed etiam ipsi Clarissimi Professores ac servitores eorum, ignem exactissima diligentia custodiant, eundem semper in laterna, praecipue ibi, ubi materia ustioni apta reperiatur, deportent, candelam parieti ligneo non applicent. Qvodsi secus fecerint, vel aliquis eorum fecerit, per Praepositum moneatur, ac tandem pro arbitrio puniatur. Ignem enim negligenter servantes manere non debent impuniti. (l. Nam salutem. §. 1. ff. de Offic. Praefect. Vigil.)

STATUTUM XXXVI.

De Librorum ex Bibliotheca acceptione et Bibliothecarii electione.

Qvoniam naturaliter qvilibet scire desideret. (l. Apud Julianum ff. de Fidei Commisar. liberet.) vel a peritis, vel a mutis Magistris Libris, qvi ad Scientiam acqvirendam. (jux. c. Exiit. §. In alio qvoque de Verb. Significat. in 6.) simpliciter sunt necessarii, discere, illosque qvoties opus est et necessitas exigit, consulere debet. Qvod ut facilius fiat, statuimus, qvatenus unicuique Professori, hic in Collegio manenti facilis sit ad dictos mutos Magistros Libros in Bibliotheca Collegii existentes accessus, ita tamen, ut eosdem extra sine consensu Bibliothecarii, per Communitatem qvolibet Anno eligendi vel reeligendi ac subscriptione sui in Libro ad id comparato, seu alias submissione de restituendis acceptis danda, multo magis extra Collegium efferre sub paenis [s. LXVIII] arbitrariis non audeat, sed iisdem Domi et absque deterioratione eorum eousque utatur, qvousque materiae sibi necessariae arcana non penetraverit. Scholasticis enim nihil debet esse absconditum in ea arte, cui student. (In Prooem. ff. §. Discipuli.)

STATUTUM XXXVII.

De Judiciis exercendis.

Qvia parum est condere jura, nisi sint qvi ea tueantur, ac debitae executioni demandent. (c. Ubi periculum. §. Praeterea. de Elect. in 6. c. un. §. Et qvoniam. de Stat. Regular. in 6. et 1. 2. §. Post originem. ff. de Origin. jur.) Statuimus ideo, ut Clarissimus Dominus Praepositus hujus Domus sit Custos legum, transgressores earum juxta tenorem et obloqvientiam Statutorum superius descriptorum, qvae ad corticem servanda sunt. (Bartol. in l. Cum Navarchorum. C. de Naviculariis.) et pro delicti qvalitate, qvae paenes lenire vel aggravare solet. (can. Non afferamus. 24. 9. 1. etc. fin. §. fin. de Clandest. desponsat.) praemissa semper, (jux. c. Reprehensibilis. de Appell.) monitione puniat. (arg. can. Pro qvalitate. 26. 9. 7.) exceptioni et appellationi justis et legitimis, qvibus jura deferre mandant et praecipiunt, ad qvem de jure et praescripto Statutorum Universitatis deferre debet, deferat, suoque ingenio non innitatur, sed legum, Statutorum et Clarissimorum Dominorum Consiliariorum unaque cum illis Judicia exerceat et Sententiam de consensu eorum expresso dicat. Integrum enim est judicium, cum plurimorum Sententiis confirmatur, (can. Extra conscientiam. dist. 64.)

et qvod a pluribus qvaeritur, facilus invenitur. (can. De qvibus dist. 20.) Per plures
namque homines, perfectissima veritas revelatur. (l. fin. ad fin. 6. de Fideicommissis.)